WJEC

Level 2 Certificate in Latin Literature

For summer 2011, 2012 and 2013

Prescribed text for Unit 9541
Latin Literature Themes

Theme B
Love and Marriage

This is the official examination text for the
WJEC Level 2 Certificate in Latin Literature

CIL 1.2.1211
Epitaph to Claudia

hospes, quod deico paullum est; asta ac pellege.
heic est sepulcrum hau pulcrum pulcrai feminae:
nomen parentes nominarunt Claudiam.
suom mareitum corde deilexit souo:
gnatos duos creavit: horum alterum
in terra linquit, alium sub terra locat.
sermone lepido, tum autem incessu commodo,
domum servavit. lanam fecit. dixi. abei.

Cicero, *ad Att. 5.1*
Letter to his friend Atticus

nihil vidi tam mite, nihil tam placidum quam meus frater illo die erat in sororem tuam. si fuerat offensio ex ratione sumptus, non apparuit. postridie Arpino profecti sumus et prandimus in Arcano. humanissime Quintus 'Pomponia' inquit 'tu invita mulieres, ego viros arcessam.' nihil potuit dulcius, non modo verbis sed etiam animo ac vultu. at illa, audientibus nobis, 'ego ipsa sum' inquit 'hic hospita' – id ex hac causa, ut opinor, quod antecesserat Statius ut prandium nobis curaret! tum Quintus 'en' inquit mihi ‘haec ego patior cotidie.' hac re ego ipse magnopere motus sum; sic illa absurde et aspere verbis vultuque responderat. itaque discubuimus omnes praeter illam. Quintus ei aliquid de mensa misit, quod tamen illa reiecit. quid multa? nihil meo fratre lenius, nihil asperius tua sorore mihi visum est; et multa similia praetereo.

Catullus, *Poem 5*

vivamus mea Lesbia, atque amemus,
rumoresque senum severiorum
omnes unius aestimemus assis!
soles occidere et redire possunt:
nobis cum semel occidit brevis lux, 5
nox est perpetua una dormienda.
da mi basia mille, deinde centum,
dein mille altera, dein secunda centum,
deinde usque altera mille, deinde centum.
dein, cum milia multa fecerimus, 10
conturbabimus illa, ne sciamus,
aut ne quis malus invidere possit,
cum tantum sciat esse basiorum.

Catullus, *Poem 8*

miser Catulle, desinas ineptire,
et quod vides perisse perditum ducas.
fulsere quondam candidi tibi soles,
cum ventitabas quo puella ducebat
amata nobis quantum amabitur nulla. 5
ibi illa multa cum iocosa fiebant,
quae tu volebas nec puella nolebat,
fulsere vere candidi tibi soles.
nunc iam illa non vult: tu quoque impotens noli,
nec quae fugit sectare, nec miser vive, 10
sed obstinata mente perfer, obdura.
vale puella, iam Catullus obdurat,
nec te requiret nec rogabit invitam.
at tu dolebis, cum rogaberis nulla.
scelesta, vae te, quae tibi manet vita? 15
quis nunc te adibit? cui videberis bella?
quem nunc amabis? cuius esse diceris?
quem basiabis? cui labella mordebis?
at tu, Catulle, destinatus obdura.

Catullus, *Poem 70*

nulli se dicit mulier mea nubere malle
  quam mihi, non si se Iuppiter ipse petat.
dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti,
  in vento et rapida scribere oportet aqua.

Catullus, *Poem 72*

dicebas quondam solum te nosse Catullum,
   Lesbia, nec prae me velle tenere Iovem.
dilexi tum te non tantum ut vulgus amicam,
   sed pater ut gnatos diligit et generos.
nunc te cognovi: quare etsi impensius uror, 5
   multo mi tamen es vilior et levior.
qui potis est, inquis? quod amantem iniuria talis
   cogit amare magis, sed bene velle minus.

Catullus, *Poem 83*

Lesbia mi praesente viro mala plurima dicit:
   haec illi fatuo maxima laetitia est.
mule, nihil sentis? si nostri oblita taceret,
   sana esset: nunc quod gannit et obloquitur,
non solum meminit, sed, quae multo acrior est res, 5
   irata est. hoc est, uritur et loquitur.

Ovid, *Ars Amatoria 1.469-478*
Advice to a rejected lover

si non accipiet scriptum inlectumque remittet,
   lecturam spera propositumque tene.
tempore difficiles veniunt ad aratra iuvenci,
   tempore lenta pati frena docentur equi.
ferreus adsiduo consumitur anulus usu, 5
   interit adsidua vomer aduncus humo.
quid magis est saxo durum, quid mollius unda?
   dura tamen molli saxa cavantur aqua.
Penelopen ipsam, persta modo, tempore vinces:
   capta vides sero Pergama, capta tamen. 10

Martial, *Epigrams 8.12*
Marital equality?

uxorem quare locupletem ducere nolim
   quaeritis? uxori nubere nolo meae.
inferior matrona suo sit, Prisce, marito:
   non aliter fiunt femina virque pares.

Pliny, *Letters 4.19*
To Calpurnia Hispulla, his wife's aunt

cum sis pietatis exemplum, filiam fratris tui ut tuam diligis, affectumque ei repraesentas, non tantum amitae verum etiam patris amissi. maxime igitur gaudebis, cum cognoveris eam dignam patre, dignam te, dignam avo evadere. summum est acumen, summa frugalitas; amat me, quod castitatis indicium est. praeterea studium litterarum ex mei caritate concepit. meos libellos habet, lectitat, ediscit etiam. quanta sollicitudine afficitur cum ego acturus sum, quanto gaudio cum egi! disponit qui nuntient sibi quos clamores excitaverim, quem eventum iudicii tulerim. eadem, si quando recito, in proximo sedet, velo discreta, laudesque meas avidissimis auribus excipit. versus quidem meos cantat formatque cithara, non artifice aliquo docente, sed amore, qui magister est optimus.

his ex causis est mihi spes certissima, perpetuam nobis concordiam maioremque in dies futuram esse. illa enim diligit non aetatem meam aut corpus, quae paulatim occidunt ac senescunt, sed gloriam meam. hoc vero decet puellam tuis manibus educatam, quae amare me ex tua praedicatione consuevit. ergo tibi gratias agimus, ego quod illam mihi, illa quod me sibi dederis. vale.

Pliny, *Letters 6.24*
Faithful unto death

navigabam per Larium nostrum, cum amicus ostendit mihi villam atque etiam cubiculum quod in lacum prominet: 'ex hoc' inquit 'olim femina quaedam cum marito se praecipitavit. maritus gravissimo morbo affectus est. uxor eum oravit ut sibi permitteretur corpus inspicere; neque enim quemquam fidelius indicaturum num posset sanari. vidit desperavit hortata est ut moreretur, comesque ipsa mortis, dux immo et exemplum et necessitas fuit; nam se cum marito ligavit abiecitque in lacum'.